



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio XXX. Vtrùm gratia vnionis sit Christo naturalis? S. Thom. art. 12.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

DISPV TATIO XXX.

Utrum gratia vnionis fit Christo naturalis?

S. Thom. art. 12.

§. 1. **N**aturale accipitur variè. certum est eam non esse naturalem absolutè, hoc enim opponitur supernaturali: vnio autem est ordinis supernaturalis: ita non est homini Christo naturalis, vt naturale accipitur pro otto ex natura humana: quia vnio non est ex virtute naturæ humanæ.

§. 2. Est autem naturalis Christo vt Deo: quia non est supra vires diuinitatis. est item naturalis, non quia est data in natiuitate (nam & gratia esset ita naturalis angelo & Adamo) sed quia gratia vnionis est, qua Christus fit & nascitur Deus-

homo, cui iam debetur gratia habitualis. Rectè in commentario P. Suarez obseruat quæstionem esse de nomine. Hæc gratia semper est supernaturalis, & non naturalis, respectiue autem est connaturalis homini Christo non modò idiomatum communicatione, sed tamquam quid de primo conceptu Christi hominis: quemadmodum vnio est de essentia hominis; nisi quòd hæc est naturæ ad naturam; illa verò naturæ humanæ ad hypostasim diuinam: & sicut ex altera fit humanitas, ita ex altera fit homo.

DISPV TATIO XXXI.

Utrum persona diuina possit vniri alienæ naturæ?

S. Thom. q. 3. a. 1.

§. 1. **A**rs affirmatiua est fide sancta docente in Christo, cui niritur christianismus: Christū enim credimus Deum-hominem compositum ex natura diuina identificata cum hypostasi, & ex natura humana vnita eidem hypostasi.

§. 2. Hic vix possumus nisi soluere rationes, quibus hoc mysterium oppugnari posse videtur. positiue non potest probari ratione clara: hæc tamen non est contemenda. Personalitas creata est conceptus realis positius; qui destrui potest conseruatâ naturâ, & pro illa subrogari personalitas increata. in quo nulla cernitur contradictio.

§. 3. Rationes solent opponi. Prima ex Dei mutatione, cui esset obnoxius: de quo egi disp. 1. & 22. Secunda, de perfectione adueniente Deo ex tempore: de quo egi disp. 1. sect. 2. & disp. 22. Tertia, de

decentia: de qua egi disp. 1.

§. 4. Rogas, vtrum euidenter possit ostendi id non implicare contradictionem? non, quia licet omnes rationes, quæ obiiciuntur, possent euidenter dissolui, tamen non est euidens nullam aliam superesse. cuius signum est philosophos ab hoc mysterio auersos, quia illud non capiunt: caperetur autem euidenter, si omnes rationes, quæ possunt obijci, soluerentur aperte.

§. 5. Dixi disp. 11. Metaphyl. §. 54. hoc mysterium facilius explicari asserendo suppositum creatum non esse rem modalem, sed absolutam. Dices, substantiam increatam esse modum. Verum id est falsum, si propriè sumatur: quia à parte rei est idem cum natura; impropriè tamen dici solet modus existendi: sicut substantia, & accidens dicuntur modi entis.